





1684.

22. Mullerus, Joh. Jac: De imperio Victoris II.
23. Mullerus, Petrus: De austeris potentiorum.
- 24^{at} Mullerus, Petrus: De incommunicabilibus praedictorum
ecclesiarum a muneribus . . . occasione
15. P. de H. eccles. 2 Sumpt 1684 & 1700.
25. Mullerus, Petrus: De executione provisionali . . .
26. Mullerus, Petrus: De fide facta
- 27^{9, 6, 1} Mullerus, Petrus: De ambitu commutabili.
28. Mullerus, Petrus: De his, quae nulla sunt.
29. Roth, Henricus Balthas: Intra fidejussoris conven-
tione volentis principalem debitorem antequam ipse
solvat.
30. Roth, Henricus Balthas: De casuum practi-
corum resolutorum circa materiam hypothecarialis
actionis
31. Sagittarius, Caspar: Historia inclulae civitatis
Holsatiae Reusburgi.

1684.

32. Sagittarius, Caspar: --- Originis --- ducum
Brunsvico-Luneburgensium.
33. Sagittarius, Caspar: Antiquitates archiepiscopatus
Magdeburgensis, quam pluribus nunquam antea editis
Ottonis I diplomatis, bullisq; pontificiis distinctae.
34. Sagittarius, Caspar: Historia Marchionum ac Elec-
torum Brandenburgensium ab origine Marchiae
ad praesentem usque statum repetita.
35. Schroeterus, Christianus: De justa matris in quo-
runtia.
36. Mevius, Jo. Philippus: De conventionibus, quae
36^b ^{per hi nocent} ^{resurrectionis}
Nicht, ^{quibus} ^{Georgius Adams} ^{de probationibus et}
37. Sturms, Georgius Adams: ^{prosecutionibus.}
38. Sturms, Georgius Adams: De opificibus
39. Sturms, Georgius Adams: Clandestina sponsalia.

v
-
Vtis
inetae
Ucc
hise
us
ual
i





1684, 27^b 8

DISSERTATIO
DE
AMBITV CONNVBIALI,

Ober:
Vom Frey-Werben und Freyers-Männern.

QVAM
PRAESIDE

DN. PETRO MÜLLERO,

ICTO, CONSIL. SAXON. ANTECESS. CVRIAE PROVINC. SCA-
BINAT. ASSESS. COLLEG. IVRID. DECANO,

AD D. XXX. IAN. M DC LXXXIV.

IN AVDITORIO ICTORVM VENTILANDAM

PROFONIT

IO. HENRICVS SCHMALIAN,

HEMIPOLITANVS.



GENAE, APVD IO. FRIDERICVM RITTERVM,
A. O. R. M DCC XXXIII.



COROLLARIA

I.

- J**ure Canonico concubinatus est permissus.
2. Etiam in matrimonio contrahendo malitia supplet ætatem.
 3. Metus reverentialis non est impedimento nuptiis.
 4. Dolus contrahentium impedit matrimonium.
 5. *Consensus Patris requiritur ad nuptias filie emancipatæ.*
 6. Etiam Jure Canonico consensus Parentum requiritur ad conjugium liberorum.
 7. Interdum sine Parentum consensu liberi recte contrahunt matrimonium.
 8. *Consensus Parentum in nuptiis liberorum Jure Nat. necessarius non est.*
 9. *Q. Num inter fratres & sorores nuptiæ Jure Nat. sint prohibitæ?*
 10. Divisio in sponsalia de præsentis & de futuro a Jure Civili non abhorret.
 11. *Q. Num sponsalia de præsentis & ipsæ nuptiæ Jure Civili differant?*
 12. Donationem factam ante nuptias, licet per mortem, vel casum fortuitum nuptiæ non insequantur, intervenerit tamen osculum quod donatum est superstes pro parte dimidia lucratur.

13. Oscu-

13. Osculum virgini invitæ infigens potest actione injuriarum conveniri.
14. *Pudicitiam cum aggressoris internecone licet defendere.*
15. Qui affectatur mulierem & frequenter eam sequitur, injuriarum tenetur.
16. Datur casus, ubi post trinam ex suggestu proclamationem impediturus matrimonium auditur.

*Q*uanto hactenus lustraris *AMBITV* scripta
Furisperitorum, inque sanguinem recte
Succumque verteris, latebit haud ullum
Temere legentem Marte proprio scriptas
*Has NVPTIALI de *AMBITV* Schedas. Palmam*
Proporro sic solertioribus perge
Ambire solers: namque sic per ambitam
Terram meabit laus Tua, ambies Spartam
Virtute & eruditione præclaram.

Quibus Cl. Dn. SCHMALIANO I. V. C.
 acclamas feliciter!

P R Æ S E S.





C. D.

PROOEMIUM.

Lurimæ sunt societates, ad quas naturali eoque insigni homo animi fertur desiderio, quas inter tanquam perfectissima maxime eminent societas civilis; utpote quæ finis est reliquarum omnium, quæque tanquam totum quoddam cæteras omnes continet atque complectitur. Haud obscure confirmat assertionem hanc Philosophus *g. Et hic. ad Nicom. in fin.* docens: Omnes societates civilis societatis esse membra ac partes: hominem vero naturali quodam instinctu amabile societatis appetere vinculum affirmat in *1. Pol. 2. med.* quando ait: *Ex his igitur perspicuum est civitatem in iis rebus, quæ natura constant esse numerandam, & hominem sociale animal esse natura, & eum, qui naturæ impulsu, non fortuna culpa societatis sit expers, ait esse improbum aut homine meliorem.* h. e. Non solum civitas seu Respublica est a natura tam quoad originem, quam quoad perfectionem (nam & perfectum naturale dici solet) sed & homo natura sua societatis amans esse videtur, in tantum, ut haud immerito is, qui suavissimum societatis fugit usum, vitamque degit solivagam atque solitariam, si propter animi sui rusticitatem ac improbitatem, bestia, si vero propter rerum divinarum contemplationem, DEus terrestris dicatur. Cum hac hujus loci explicatione consentit ea, quam habet Averroes

A

roes



roes in paraphrasi ad eundem. *Ex his igitur, inquit, patet civitatem esse ex iis, quæ natura sunt, & quod homo natura animal est civile. Et qui absque civitate est per naturam, aut nequam est, aut potior, quam homo. Et paulo post: Qui autem in communi societate nequit esse, quique nullius indiget, propter sufficientiam, nulla pars est civitatis: quare aut bestia; aut DEUS. Natura igitur omnibus ad societatem est appetitus. Hæc ille. Omnes igitur societates sive simplices sive compositæ cum a natura proficiuntur, tum ex naturali quadam sibi que insita qualitate hominum ad se alliciunt mentes, sed non æqualiter. Magis enim homo naturaliter ad societatem propensus est conjugalem, quam ad herilem, domesticam, paganam, vel etiam civilem; quamvis ultima harum omnium perfectissima, adeoque præstantissima, prout jam dictum, existat. Causas hujus rei supra laudatus nobis suppeditat Philosophus 8. *Etb. 14. med.* asserens: Nos propterea magis in hanc naturæ instinctu inclinare societatem, quoniam amicitia illa, quæ inter virum & uxorem deprehenditur, maxime secundum naturam esse videtur; & homo ad conjugium aptior est natura, quam ad aliam quandam societatem, quanto prior, magisque necessaria domus civitate, quantoque filiorum procreatio animalium omnium communior. Scilicet: Ea amicitia maxima naturalis esse dicitur, quæ animos hominum arctissimo quodam amoris ligat vinculo, sicque efficit, ut diversæ personæ quodammodo una & eadem sint etiam in corporibus divisis atque diversis, hoc autem quam maxime amicitia præstat conjugalis, quod & JCi nostri observarunt; ultima verba definitionis nuptiarum, quæ est *in §. 1. d. patr. pot. & l. 1. ff. d. ritu nupt.* & ita se habet: *Nuptiæ sunt viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens: de arctissima animorum conjunctione, quæ est, vel ad minimum inter conjuges esse debet, explicantes Wesenb. ad pr. Instit. de Nupt. Accedit,**

cedit, quod societas conjugal non solum magis præ reliquis sit necessaria, sed & physice considerata nobis cum brutis animalibus communis *pr. Inst. d. jur. nat. gent. & civil. l. 1. §. 3. ff. d. J. & J.* Sicque vel ex hoc rursus fundamento magis naturalis dici possit. Est magis necessaria, quoniam omnes societates ex ea tanquam ex fonte fluunt atque manant. Tolle enim conjugium, & non erit societas herilis, non paterna, domestica, pagana aut civilis; quippe cum omnes dictæ societatum species hujus præsupponant existentiam, quod & Philosoph. docet *d. 1. polit. 2. pr. Neesse est, inquit, primum eos conjugii & copulari quorum aliter sine altero esse non potest, ut marem & fœminam procreationis causa atque hoc non ex consilio profiscitur, sed quemadmodum & in aliis animalibus & stirpibus naturale est, tale alterum, quale ipsum sit cupere relinquere.* Sed & omne animal simulac in hanc edium est lucem, ex naturali quadam sibi que connata ratione, sibi conciliatur atque commendatur ad sui conservationem, declinat autem ab interitu iisque rebus omnibus, quæ cum accelerare valent, vid. Hug. Grot. *lib. 1. d. jur. bell. & pac. c. 2. n. 1.* Quæ conservatio efficit, ut homo suo modo DEO, ens qui æternum constituit, se assimilare intendat coneturque illum perpetuitate quadam amulari, hincque studeat non solum sese conservare in individuo, cibum capiendo, vim vi repellendo *l. 3. ff. d. J. & J. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* aliaque quam plurima, quæ ad illam aliquid conferre videntur, faciendo; sed & quoniam ex rerum impossibilibus est numero, hoc modo finem hunc consequi, cum omnia singularia sicuti ortui, ita quoque interitui esse obnoxia, quotidiana doceat experientia; conservationem sui per sobolis procreationem in specie quærere, sicque nomen familiamque suam in seram usque propagare posteritatem. Huic naturali rationi, quam non

male naturæ dixeris præceptum, nisi primi parentes eorum-
que liberi debitum præstitissent obsequium, in illis ipsis gene-
ris humani radicibus, spes propagationis in longa duraturæ se-
cula, sine dubio interiisset: solum enim matrimonium huma-
no generi videtur immortalitatem artificiose introducere, & ex
filiorum procreatione genera renovare, ut loquitur Imper. *in*
Nov. 22. pr. § l. 14. C. d. legit. hered. Faciunt huc quoque ea,
quæ leguntur apud Platonem *lib. 6. de legib.* *Oportet, ait, homi-*
nem liberis generandis atque educandis operam dare, ut vi-
tam quam ipsi a parentibus accepissent, vicissim quasi tædam
ardentem posteris tradant. Quoniam igitur homo naturali-
ter magis suam, quam aliorum quærit conservationem, ea ve-
ro in naturali ad procreandam sobolem consistit appetitu illum
præ aliis naturaliter magis societatem appetere conjugalem,
quis dubitaret? Licet vero societas hæc maxime sit secundum
naturam, non tamen omne penitus excludit & respuit consi-
lium humanum; solent enim homines, quamvis naturæ im-
pulsu ad eam ferantur, non statim cæco affectuum impetu in
promiscuos ruere concubitus, sed rationem prius adhibere in
consilium, quomodo scilicet, quando & quam optime illam
contrahere debeant, imo amicorum hoc in negotio, ut eo feli-
cius succedat uti opera consueverunt. Et sic solent homines
prudentiores in conditionem aliorum diligenter inquirere,
antequam rem aggrediantur tam arduam. Quæ res nobis
suppeditavit materiam de ambitu connubiali differendi; Con-
sideraturis tam personas quæ ambiunt; quam quæ ambiun-
tur; nec non modum effectumque & quæ ad ejus-
modi contemplationes necessaria videbuntur. **DEUS**
labori annuat!

CAPVT I.

Complectitur

Nominis explicationem & Descriptionem.

SUMMARIÆ.

I. *Ambitus descendit ab ambi & eo. II. Variè accipitur & quidem (1.) pro favore & gratia (2.) verborum periodo (3.) nimio studio (4.) certa loci quantitate (5.) conciliatione voluntatis populi. (6.) pro re acquirere (7.) pro præripere. (8) in crimine ponitur & dividitur in ambitum honorum civilium & ecclesiasticorum, qui dicitur Simonia. III. Denique (9.) pro benigna petitione & sollicitatione. Describitur. Differt a sponsalibus. Ambiens dicitur speratus.*

THES. I.

Ambitus descendit ab ambi & eo. Ambe enim vel ambi significat circum, & est a græco ἀμφι, ut ambo ab ἀμφω. Præpositionem hanc agnovit Varro *lib. 6. d. L. L.* vid. Vossius *in etymolog. L. L.* Ita etiam verbum ambire usurpatum legimus ap. Ovid. *lib. 5. Fastor.* quando de Oceano canit:

Qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis.

THES. II. Variè accipitur ambitus. Hinc denotat (1.) favorem & gratiam amicorumque copiam in *l.ordo 3. C. d. exec. rei judic.* (2.) Ambitus verborum dicitur periodus *Cic. d. orat.* Perfecto completoque ambitu verborum gaudent aures meæ, & curta sentiunt, nec amant redundantia. (3.) Denotat quodvis in aliqua re nimium & navatum studium *Senec. Med. v. 398.*

- - - *Segnis sic ibit dies,*

Tanto petitus ambitu.

(ad quam vocem Farnab. notat, esse qui de die nuptiali exponunt, quem Creon ambivit.) (4.) Dicitur inter vicinorum

rum ædificia locus, duorum pedum & semipedis in latitudinem, in longitudinem idem quod ædificium, ad circumeundi facultatem relictus: quo proxime accedit, quod ait Cic. *in Topicis*: Scævola id solum esse ambitus ædium dixit, quoad parietis communis tegendi causa tectum projiceretur, ex quo in ejus ædes, qui protexisset, aqua deflueret. Sic enim hunc locum legi vult Hotomannus *observ. lib. 1. c. 26*. Quod & Varro *lib. 4.* probat hisce verbis: Ambitus, circuitus: ab eo duodecim tabularum interpretes ambitum parietis circuitum esse describunt. (5.) Etiam honoris ambitus dici cœptus est, & plus est, quam ambitio, dictus a circumeundo supplicandoque Valla *lib. 4. c. 19*. Candidatorum enim mos erat voluntatem populi conciliare, quæ ratio quatuor habebat partes: nomenclationem, blandiciam, assiduitatem & benignitatem. Ad assiduitatem pertinebat ambire, prensare ac rogare. Ambire erat circuire. Ambibant autem petitores non solum Romæ in foro, sed etiam in conciliabulis Italiæ, in quibus cum multis negotiandi gratia versari solebant Rosin. *d. antiq. Rom. lib. 7. c. 8*. Quorsum illud Taciti *in annalib. cap. 28*. spectat: *Comitia Prætorum, arbitrio Senatus haberi solita, quod acriore ambitu exarserrant, princeps composuit, tres, qui supra numerum petebant, legioni præsciendo*. Ubi Forstner. *in not.* idonea ratio, inquit, componendi plurium ambitum, ut uni petita concedantur, cæterorum repulsa largitione, aliisve modis molliatur. (6.) pro *rd* acquirere ponitur, ita apud Plaut. *in Amphitruo*

Virtute ambire oportet, non favioribus.

(7.) pro præripere: uti ap. Plautum *c. l.*

Sive etiam qui ambissent palmam bistrionibus.

(8.) In crimine ponitur. Sic qui dilargitur pecuniam suam aut populo muneribus ludisque blanditur, aut cæteris arti-

artibus, quæ non legitime ad publicos honores tendunt, ambitum committit. Romani enim ambibant populi captantes suffragia aut implorantes iudicum misericordiam. Indeque qui gratiam iudicum, & qui Magistratum captarent, dicti ambitiosi. Huc pertinet locus Tertull. *lib. d. habit. muliebr. c. 4.* Hæc erat ambitio, unde & nomen ejus interpretandum, quod, concupiscentia apud animum ambi-ente, nascitur ad gloriæ votum. Camerar. etiam *orat. pro Murena* annotavit, ambitum & ambitionem ita differre, quod illud sit criminis (Græci *δυσωσια* vocant) hoc cupiditatis. Nam licebat quidem circumire & prensare ad suffragia impetranda suæ benevolentia significatione: At non licebat corrumpere profusione & largitionibus: quod crimen ambitus vocabatur. Præclare Philosophus *2. pol. 9.* inquit: *Nemo Magistratum petet, nisi honoris sit affectator: atque plerumque homines injuste faciunt, per ambitionem & avaritiam committunt.* Cujus rei cohibendæ causa lata est Lex Julia ambitus, a C. Cæsare Octaviano, ut Svetonius refert: quam in urbe cessare scribit Modestinus *l. 1. ad L. Jul. ambit.* Ambitiosa decreta quæ dicantur apud Ulpianum, docet Ravardus *lib. 5. Var. c. 6.* addat. Rosin. edit. Dempsterian. *d. antiq. lib. 8. cap. 29.* Talis ambitus dividitur in ambitum in specie dictum, qui est de dignitatibus & honoribus civilibus *Nov. 8. cap. 1. & 7.* & in Simoniam, quæ est de dignitatibus & honoribus ecclesiasticis, vel ubi quid aut exigitur aut promittitur pro spiritualibus *t. X. d. Simon & caus. 1. Nov. 123. c. 2. §. 1.* Et potissimum pro sacerdotio Hunn. *in encycl. p. 4. c. 4. in fin.*

THES. III. Ambitus (9.) hic accipitur pro benivola petitione & sollicitatione; Quemadmodum versum Plautinum

Propterea pace advenio, & pacem ad vos affero.

C. Bar-

C. Barthius *adversar. libr. 30. cap. 6.* emendavit, ut multo concinnius legatur

Propterea pacem ambio & p. a. v. affero.

Et Virgilius *l. 7. vers. 330.* ait:

- - - *connubius ambire Latinum*

Aeneade possint - - -

ubi habet Schrevel amplecti circum, retinere. Ut proinde Ambitus Connubialis describi possit: *Quod sit studiosa petitio seu sollicitatio personae ad alterius captandum amorem & futurum conjugium directa.* Differt ille ambitus a Sponsalibus, uti tractatus ab ipsis conventionibus, tanquam contractuum praëmbulis. Unde ambiens, qui uxorem petit, Nonio dicitur *Speratus*; & sperata virgo, quae petitur in matrimonium; ad quam bona spe plenus accedit ille. Afranius: *corre, & nuncia, venire, & mecum speratam adducere, ut videat puellam.* Postquam vero sponsio facta erat, non sperata amplius, sed vel dicta, vel pacta, vel sponsa vocabatur. Ambiens vocatur *Freyer* & ambitus *Freywerbung, Freywerben*; Unde vero *freyen, freyer* dicatur vid. *Beise in der Lustinne vers. 69 in dem Oedip.*

CAPVT II.

Agit

De Personis connubium ambientibus.

SVMMARIA.

- I. *Qui sponsalia contrahere potest, valet etiam ambire personam in matrimonio habendam.*
- II. *Vanus est & irritus ambitus a liberis instituto sine prescitu parentum.*
- III. *Quando Parentes pro liberis ambiunt connubia.*
- IV. *Ex causa Status Principes ambiunt nomine liberorum connubia.*
- V. *Neque Parentes insciis liberis, non impu-*

impuberibus, absque eorum consensu & ratihabitione possunt ambire connubia.

THES. I.

IS, qui sponsalia contrahere potest, valet etiam ambire personam in connubio habendam. Quoniam vero non adeo verecundum, aut saltem quoad privatas personas non adeo frequenter accidit, ut mulier amorem suum masculo ita explicet, quo simul ambiat futurum maritum, sic ut magis masculus ambire dicatur foeminam, quam haec ipsum.

THES. II. Vanus autem & irritus est ambitus, si vel sine praesentia Parentum, vel cum ipsorum dissensu fiat a liberis. Et sic nihil agit filius ambiens mulierem, nec haec recte consentit, nisi prius parentes de consensu sollicitaverit. Ut bene dixerit (referente Grotio in *notis ad §. 10. lib. 2. & jure bell. & pac. c. 5.*) Hermio apud Euripidem:

*Curam parenti de meis ego nuptiis
Permitto, non est istud arbitrii mei.*

Et apud Musæum Hero:

*Lege maritali jungi non possumus ambo,
Cum nolit mater, nolit pater.*

Horum enim consensus necessario requiritur, *Genes. 24. 27. 28. Exod. 22. vers. 17. Deut. 7. vers. 3.* ubi dicitur: *Parentibus potestas datur elocandi liberos, iisque conjuges comparandi.* Add. *l. 7. §. 1. ff. d. sponsal. junct. pr. Inst. d. nupt.* Neque spernendus est matris consensus, cum aequalis debeat reverentia patri & matri, & utrique parenti idem honor juxta quartum praecipuum decalogi & *per l. 1. ff. d. obseq.* Inde etiam Tobias *cap. 4.* pulcrum adducit rationem, cum inquit: *Memor esto; quanta pericula passa sit propter te in utero suo.* Ex quo Clytemnestra id juris sibi tribuit apud Euripid. in Iphig.

Egone, quos peperit liberos, non elocem?

B

THES.

THES. III. Parentes nomine liberorum tunc demum connubia ambiunt, si postquam ad annos discretionis pervenerint, consensu suo approbaverint ambitum, ut tunc eum de novo tanquam repetituri rata habeant Parentum acta; alias ab illis in adulta ætate pro arbitrio postmodum aut negligi plane aut etiam eludi potest ambitus. *can. 1. caus. 30. qu. 2.*

THES. IV. Sic ex causa Status Principes pro liberis suis adhuc infantibus & imperibus conciliant & ambiunt amores. Ambiantur tamen sæpius ejusmodi personæ propter ætatem inhabiles, uti ait Besoldus *d. feder. jur. c. 5. §. 9.* non bono fine, nec ut velint ea consummare, sed tantum, ut hostes sopiantur, quod pro stratagemate vendit Polyenus *lib. 4. d. Antigono impr.* Cæterum per talem ambitum conjugalem Anglia cum Gallis bella sæpe felicissime sopita fuisse olim recenset Cominaus *lib. 7. c. 3. & lib. 8. c. 15.* confer. Arnisaus *d. jure connub. c. 2. sect. 2. n. 1.*

THES. V. Quod autem dictum est, Parentes pro liberis etiam puberibus posse ambire conjugia, hoc, ut effectus sequatur, ita intelligendum est, si v. gr. filius, tanquam spondendus, negotium, quod geritur, & quod ad desponsationem directum est, sciat, & in id consentiat *l. hac ita 5. ff. d. sponsal. l. 7. §. 1. & l. 11. ff. eod. Locamer quest. justin. 25.* Si vero hoc a Patre fiat incio filio, hic ambitum rati habere non cogendus est, quamvis parentes quod filium suum hic illive puellæ in matrimonium dare velint, vinculo pœnæ vel juramento se obstrinxerint, *l. 134. ff. d. V. O. l. 5. C. d. instit. & substit. c. 29. X. d. sponsalib. c. non est obligatorium 58. d. R. J. in 6. Bocer. class. 1. disp. 9. th. 6.* Unde bene Henric. Bouhic. *ad cap. tua 1. X. d. desponsat. impub.* scribit: *Cum in matrimonio sit quasi quædam servitus perpetua, pater non potest cogere filium ad incundum matrimonium.*

monium, cum sit in hoc libera conditionis ad matrimonium contrahendum: Sed potest cum inducere ex rationabili causa: Et tunc sicut se habet filius ad preceptum patris; Ut si causa illa cogat de necessitate vel de honestate, etiam preceptum similiter cogat, alias non. Nec obstat, quod dicitur Coloss. 3. Filii obedite patribus vestris per omnia. Quoniam hoc non intelligitur simpliciter & universaliter, sed de omnibus pertinentibus ad patriam potestatem.

THES. VI. Non autem statim, ut quis ad matrimonium habilis est, ipsi conducit ambire sceminas. Juvenis dum iis in annis constituti sunt, ut discant, male rebus suis consulunt, si virginum viduarumque amoribus bacchati id agunt, ut cogitationibus a studiis averfi in castris Veneris nungentur suæque saluti quam maxime obliant. Placet monitum celeberrimi quondam Professoris Jenensis Wolffg. Heideri in hypotyposi Scholastici boni simul & mali. Matronas, inquit, pudicas & virgines, quæ id sunt, quod audire cupiunt, observat & veretur: sed amorem etiam licitum & concessum aliud in tempus conjicit. Cogitat enim in Academiam se venisse non ut duceret uxorem, sed veram ut virtutem, & sapientiam sibi desponderet: non ut Junoniis illigaretur vinculis, sed ut compedes vitiosis cupiditatibus injiceret: non ut numerosa conjugii susciperet pignora, sed ut præclaros ingenii fetus ederet & relinqueret: Cogitat non auferri quod differtur, & olim, si honestam vel in Ecclesia, vel in Republica stationem obtineat, liberum sibi, aut Thuringam, aut Francam, Misnensem, aut Saxonem delgat, & diligat, esse futurum. Senes quoque ambire sapius connubium experientia nos edocet. Equidem prohibita non leguntur hiis ce personis nuptiæ, cum præter sobolis procreationem & alii dentur matrimonii fines, adjutorium sc. muruum & solatium in rebus adversis. Valde tamen dissuadendum ipsis est

mtrimonium vid. Carpz. in *Jurispr. Eccles. lib. 2. tit. 1. def. 13.* & D. Præses in *Diss. d. calor. juvenili sect. 5.* Senectus enim tam apta dicitur nuptiis, ut bruma messibus. Harprecht. *ad pr. Instit. d. nupt. n. 27. & 28.* Poeta hujusmodi matrimonia risu excipit, cum inquit:

*Militat in teneris annis Amor hospes amœnus ;
Ast in canitie ridiculosa Venus.*

Et Virgilius *libr. 3. Georg.*

*Frigidus in Venerem senior, frustra que laborem
Ingratum trahit : Et si quando ad prælia ventum est,
Ut quondam in stipulis, magnus sine viribus ignis,
In cassum fuerit.*

Adde Epistol. Manutii *lib. 6. epist. 3. An Seni iteranda nuptia.*
D. Præses in *præsid. domus illustris. cap. 4.*

CAPVT III.

Agit

De qualitate personarum ambiendarum.

SVMARIA.

- I. Res periculi plena est ambire personam in indissolubili vita consortio habendam. Dicitum Socratis & juvenis sponsuri uxorem refertur. II. Ambientes connubia prudenti de liberatione illa appetant. III. Generis habenda est ratio. Non tamen unice nobilitas Parentum respicienda est, quam ipsa uxor. IV. Non ambienda est diversa religio- nis fœmina. V. Spectanda est comitas & humanitas. Castitas & Pudicitia. VI. In ambitu connubiali ratio sanguinis & cognationis habenda est. VII. Singularis ratio ambitus est in ducendis fœminis a personis illustribus. Ratio status non solet attendere, que alias specta- ri*

ri solent. VIII. Num ob sterilitatem ex ratione status divortium fieri & alia possit ambiri?

THES. I.

REs ardua & periculi plena est eligere & ambire perfonam in perpetuo isto & indissolubili vitæ consortio habendam. Socrates referente Diogen. Laërt. Juvenes cœlibes & nuptias ambientes, similes esse dicebat piscibus, qui alludunt circum nassam & gestiunt inire, contra qui jam inclusi, exire: simile in matrimonio, quod ambiunt liberi, damnant capti. Et de juvene quodam desponsuro uxorem refertur, quod interrogatus, an eam vellet, convertit se ad amicos & propinquos, qui ibi adfuerint, dicens: Quid, ut muti siletis? Cur non DEVM, ut me hodie adjuvet oratis? Si enim sternutantibus DEVM adesse precamur, ubi nullum est periculum, quanto nunc magis pro me orare deberis, cui tantum videris imminere discrimen. Jan. Gruter. in *polyanthea* voc. *nuptia*.

THES. II. Qui ambiunt futuras uxores, non solis oculis, sed mente quoque & prudenti deliberatione eas appetant. Recte Augustinus: *Non in sola, ut deliras, commissione maris & femine nuptiarum veritas est: quamvis sine illa commissione filios procreare non possint; sed alia sunt ad nuptias proprie pertinentia, sicuti est thori conjugalis fides & cura ordinata filios procreandi, & bonus usus mali, hoc est bonus usus concupiscentiæ carnis, quo bono adulteri male utuntur.* De nuptiis non bonis ita Euripides:

Quisquis uxorem ducere deliberat, non deliberat

Recte: Nam ubi de liberavit, statim ducit:

Quod malorum vitæ multorum initium est.

Nam si quis pauper pecuniosam uxorem

Duxerit, non uxorem, sed dominam habet,

Cujus famulus est. Quod si duxerit

B 3

Nil

*Nil afferentem dotis, iterum sit servus.
Oportet enim deinceps unius loco duos alere.
Duxit aliquis turpem, non amplius jucunda est ei vita.
Formosa si ducitur, non est illa
Magis mariti sui, quam vicinorum.
Itaque nullo modo malum cadere potes.*

THES. III. Ambiturus foeminam matrimonii causa non parvi ducat genus seu familiam, cum non labes solum sanguinis, verum etiam morum ad posteros propagetur; & qualis ager, talia & semina: quales flores, talis & tinctura: qualis operator: talis & creatio; qualis agricola, talis & cultura; nec e squilla rosa aut hyacinthus producitur, Theognis. Non tamen unice nobilitas parentum respicienda est, quam ipsa tamen uxor, cum talis praesumptio admittat probationem in contrarium, dum saepius etiam ex optimis parentibus natae improbae & impudicae solent esse, & ex fastu suo ad mala multa maritos excitare. Notum est illud Ovidii:

*Quam male inaequales veniunt ad aratra iuvenci:
Tam juveni magno conjugē nupta minor.
Non honor est, sed onus species: laesura ferentes.
Si qua voles apte nubere, nube pari.*

THES. IV. Praepriis non est ambienda diversa religionis foemina. Ea enim aut blanditiis suis ad religionem diversam & Idololatriam prociim, postmodum factum maritum, pertrahit; Uti Salomon, omnium sapientissimus, deceptus ab ethnicis mulieribus, deos colere alienos coepit 3. Reg. XI, 4. sqq. Joramus Judaeorum Rex, ducta in uxorem Athalia, Achabi Israelitarum Regis filia ad idolomaniam inductus fuit 4. Reg. VIII, 18. & 2. Paral. XXI, 6. Achabus Iezabelis, conjugis impiae, consilia secutus, Propheras trucidavit, Baal servivit, eidem lucos & aras, & templa constitui

tui passus est *3. Reg. XVI. 31, 32, 33.* Aut si maritus uxorem ab erroneo cultu abstrahere tenter, neque hæc flecti velit, discordia non exigua oritur; ut Conjuges sæpe sejuges fiant, & semina perpetuarum rixarum oriantur.

THESES. V. Spectanda est ante omnia *Comitas & Humanitas*; Mulier enim comis exhilarat maritum; & cum humaniter illum tractat, cor illius recreat ac reficit *Syracid. XXVI, 2, 3, 16.* Et ut vitiosum ac pravum est speculum, quod læti imaginem tristem, & vicissim tristem ac tetrici lætam præbet: ita uxor illa ingrata atque intempestiva est, quæ læto ac hilari ma ito, torvum tuetur: serias res agente, ludit ac ridet. *Plutarch. in præcept. conjugilib.* spectanda quoque *Cassitas & Pudicitia*; Mulierum enim dos pulcherrima, vita pudica. *Plaut. in Amphitruo.* Neque etiam omnes enumerare virtutes ornamentaque mulierum nobis jam integrum est. Hoc saltem huc quodammodo applicari posse videtur, quod *Cato de re rustica. cap. 2.* de prædio comparando habet: Quare quis, inquit, si emere vult aliquid, puta prædium aliquid; leges hæc erunt observandæ: ne cupide emat, ne parcat visere, ne satis habeat semel circumire. Ita & ducturus uxorem non incogitanter prouat in ambitum, sed provide circumspiciat, ne vitæ negotium faceffat, sibi que tranquillitatem turbet. *Stob. serm. 66.* Dedit enim nobis oculos DEUS, non ut spectemus, voluptatemque cupiamus, sed ut videamus propter ea, quæ pertineant ad vitæ necessaria.

THESES. VI. In ambitu hoc connubiali cognationis & sanguinis communionis habenda est ratio. Quæ vero personæ propter impedimentum matrimonio jungi nequeant, de iis vid. *Carpz. in Jurispr. consist. lib. 2. def. 29. & seq. D. Præf. in Jurispr. Element. Disput. 8. th. 6.* Utrum vero quis mulierem, quam frater patere ejus ambiit & amabiliter cum ea versatus est, ambire possit, quæstio videtur non esse

esse de nihilo. Sane si sacra pagina non vetat talia matrimonia contrahi, si defuncta sit sponsa & quis matrem ejus in uxorem ducere velit Carpzov. *libr. 2. Iurispr. Consist. tit. 6. d. f. 100.* multo minus vetuit eas personas conjungi, inter quas nulla contracta sunt sponsalia. Cum tamen & eo casu propter publicam honestatem & scandali evitacionem, cujus in nuptiis contrahendis nunquam non ratio est habenda, maximeque adlaborandum sit, ut seruetur honestas, ac verecundia castis moribus perseveret *l. un. C. d. majum. lib. 11.* & ne magis considerando quid fiat, quam quod fieri debeat *l. 12. ff. de off. presid. materia peccandi malis praebeatur moribus l. 1. in pr. ff. ad SC. Macedon.* Carpz. *c. l. n. 4.* arbitrio judicis committimus examinare circumstantias; qui in conversationem si curatius inquisiverit, certoque informatus sit, suspectam fuisse conversationem & ambitum praecedentem, eo quod amantes ultima praesumantur linea amasse, potest prohibere abdictam honestatis rationem ulteriores ambitum & sequutura sponsalia.

THESES. VII. Quae de prohibitione certarum personarum cognationis intuitu dicta sunt, cum aliis nonnullis in ambitu personarum illustrium ob rationem Status quandoque non solent attendi. Equidem Principi conjugem ambientem praeripimus respiciendum est ad virtutes animi, dotes corporis, genus, aetatem, patriam ac religionem. Horum quaedam complexus est Tacitus *lib. 21. Annal. c. 6.* cum ita praecipit: *Quando maritandum est, deligi oportet feminam nobilitate, puerperis, sanctimonia insignem, quae aliis claritudine generis anteciat.* Et Mariana Hispanus *lib. 2. d. Reg. Instit. c. 3.* *Conjugem deligat, inquit, magnis animi & corporis dotibus, nobilem, pulchram, & quoad res patietur, locupletem: ut nihil humile aut sordidum in moribus existat: Corporis venustati, majorum virtutibus respondeat magnitudo*

do animi. Non tamen svavitas illa, aut quicquid etiam jucundum privati vel ex electione vel affectu amicitia aut morum denique concordia in matrimonio se percipere autumant, Regibus Principibusque sectandum est. Id quod docet Rex Meleander in admonitione ad filium apud Barclajum: Privatorum est, inquit, ligere matrimonia ex amicitia affectu vel morum concordia. Nobis illa svavitas exuenda est. Regum enim fortuna est, ut nunc indignos & exosos per sanctissima fœdera sibi conjungant, nunc omnium nexum jura, omnisque sanguinis charitatem, inhumana necessitas negligat. Charissimus esse solet, qui utilitate precipua potentiam nostram alit; & affinitates pulcherrime censentur, quacunque regnum stabilunt. Paulo Post: Scio a Regibus sæpe filias aut sorores spargi in eos, quos fallere amicitia specie volunt, vel ad tempus placare; nihilque deinde sui sanguinis, pignoribus, nihil nominum, que mutuo inierunt, reverentia motos, pacem & bella ex temporum & fortuna ingenio asstimare Barclaj. in Argenide lib. 3. part. 1. De Dario Persarum Rege refert Justinus: Principio, ait, Regni, Cyri Regis filiam, regalibus nuptiis regnum firmaturus in matrimonium recepit, ut non tam inextraneum translaturum, quam in familia Cyri reversum videretur Justin. lib. 1. Eodem consilio Lycus ille, apud Senecam in Hercule furente ambit Nuptias Megaræ

Alieno in loco

*Haut stabile Regnum est: una sed nostras potest
Fundare vires, juncta regali face,
Thalamisque Megaræ; ducet e genere inelyto,
Novitas colorem nostra.*

Vid. D. Præses in præsid. dom. illustr.

THESES. VIII. Num vero ob sterilitatem Rex vel Princeps ex ratione status dimittere possit uxorem & novam ambire; non nudius tertius quaeritur. Equidem non desunt exempla,

C

ubi

ubi sub colore sterilitatis dimisere uxores, novas ambire; Sic *Sp. Carrilius Ruga* primus ex amicorum sententia dimisit uxorem, ob quod factum invisus populo fuit, quamvis jurasset, se uxorem, quærendæ sobolis gratia, habiturum *A. Gell. lib. 17. cap. 21.* Item *Nero* Imperator, cum *Octavia* consuetudinem priorem odisse inciperet, eam dimisit ut sterilem, sed improbante divortium populo nec parente convitiis. *Sveton. in Nerone. cap. 32.* Galliarum Rex *Henricus IV.* divortium fecit cum *Margarita Valesia*, *Henrici II.* filia & *Caroli IX.* sorore, idque propter defectum proles a Romano Pontifice *Clemente VIII.* anno 1600. consultantibus quibusdam Cardinalibus, nullum per sententiam declaratum fuit, ne regia Stirps extingueretur, superinducta *Maria Magni Ducis Tusciæ Francisci II.* filia, *Thuan. histor. lib. 125.* Verum talia divortia contrariantur expresse divino mandato *Matth. 5. 32. Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœcham, & quicumque dimissam duxerit, adulterat.* Et qui Princeps sibi polliceri potest, quod in secundo matrimonio prolem certo sit habiturus? Sterilitas a DEO provenit, ut Scriptura profiteretur, & ecce conclusit me Dominus, ne parerem inquit *Sara Genes. 16. 2.* Ne dicamus de odio repudiatæ conjugis, quod postmodum patrocinium est propinquorum injurias expulsæ vindicantium.

CAPVT IV.

Exprimit

Qua ratione Ambitus Connubialis perficiatur
itidemque probetur.

SUMMARIÆ.

I. Non ex qualibet amicabili conversatione presumitur ambitus connubialis. II. Exprimitur consensus per verba
§

Et facta. Verba sint seria, non jocosa. III. Ex verbis: propino Tibi, sponsa mea: Item mea es vel mea eris, Vel: tu mihi sola places, non mutabo te pro meliori, non concluditur Amb. Connub. IV. Neque osculum vel amplexus & dextre datio inferunt ambitum connubialem. V. Ambitus fit etiam per intermedias personas, seu proxenetas. Quatenus iis fidendum. VI. Fit ambitus vel sollicitatio connubialis vel pure vel conditionaliter. Remissive. VII. Quomodo, & num per Proxenetas probetur?

THES. I.

Non ex qualibet amica conservatione amantium aut singulari amore aut affectu præsumitur ambitus connubialis. Neque enim semper blanditiæ adhibitæ ambitum connubialem ne dum sponsalia inducunt. D. Stryke *d. jure blanditiar. cap. 2. n. 40.* Plura sunt & requiruntur ad hoc, ut per ambitum sponsalia concilientur, quam quod id efficiat sola attestatio amoris. Stuck *part. 1. consil. 6. n. 36.*

THES. II. Exprimitur consensus non nisi per verba ad desponsandum apta & desponsationem importantia, quæ ore proferantur an literis, nil interest. Quocunque medio consensus hic solenniter declaratur, illo quoque declaratur ambitus *arg. c. 23. X. d. sponsal.* Modo verba sint clara & perspicua. Cypræ. *d. jur. connub. p. 1. c. 3. §. 1. n. 3.* non obscura aut flexiloqua Carpz. *p. 4. c. 20. def. 9. n. 5.* seria sint, non jocosa. Alber. Gentil. *d. nuptiis cap. 8.* Unde si quis puellam aliquam vocet: *meum corculum, animula, mein Herzgen, mein Schätzgen*, exinde ambitus connubialis colligi nequit; Vocalis enim consensus absque mentali nullus est, & si hisce & similibus verbis fiat ambitus, ei omnis efficacia jadempra est. Carpz. *Jurispr. consistor. lib. 2. d. 19.* Philipp. *in usu Pract. Institut. Imperial. eccllog.*

57. Per jocum enim vel intellectus causa, ut Rhetores loquuntur, aliquo promisso, obligatio non nascitur. Siquidem consensus in jocante deficit: utpote, qui non id vult, quod dicit, sed aliud, quod non dicit: Ideoque ironica locutio consensum non habet. *Coëdd. d. contrab. & commit. stipul. c. 3. caut. 6. n. 89. & seqq.* Et ad obligandum sola figura verborum sine consensu naturali non sufficit, sed mutuus lingvæ & cordis consensus requiritur. *l. non figura 38. ff. d. V. O. c. & ibi DD. X. d. spons. duor. Joh. Kitzel. in synopsis. matrim. c. 4. Theor. 9. Jodoc. Dedekenn. in thesaur. consil. & decis. vol. 3. sect. 3. n. 16. §. 2.*

THE S. III. Neque ex hisce verbis quando quis dicit: *Propinq tibi, Sponsa mea, es gift dir Braut*, colligi potest, quod istam propterea futuram sponsam ambierit, multo minus, quod sponsalia sint celebrata; cum hicce modus contrahendi sit planè ridiculus & nullam veritatis speciem præ se ferat. *D. Hoppius Dissert. d. Joco cap. 2. th. 6.* Ejusdem generis est, si quis dixerit; *mea es vel eris, du bist oder solt meine seyn.* Ex hisce enim nudis verbis, nisi alia præcesserint, quæ ambitum declarent hicce colligi nequit *D. Præses in Disp. d. lit. amat. th. 16.* Neque exinde ambitus connubialis fit aut probari potest, si quis aliquantum familiariter cum virgine conversetur, nulla mentione sponsaliorum facta: virgo autem postquam vana spe se lactari credit, ut animum Juvenis experiatur, displicentiæ suæ signa edat non obscura; ille contra, ut diutius sibi dulci conversatione virginis frui liceat, protestatur his verbis: *Tumibi sola places, non mutabo te pro meliori &c.* nam sic jocandi magis & applaudendi animo effuso sermone videntur jactitata, quam promittendi *Covarruv. ad cap. 4. part. 2. §. 1. d. sponsal. D. Hoppius c. l. th. 9.*

THE S. IV. Neque osculum, amplexus & dextræ datio

datio ambitum inferunt connubialem, cum signa sint æquiva-
 ca & dubia; & si animus absit contrahendi connubium,
 non spectandum, quid factum, sed quare ita factum. Ha-
 vemann. *Gamolog. synopt. lib. 1. tit. 7. pos. 5. §. 2.* D. Præ-
 ses de *Osculo Sancto tb.* Neque *Annuli datio* arguit ambi-
 tum connubialem, vid. D. Præses de *annulo pronubo.*

THESES. V. Non solum ducturus uxorem prius quam
 sponsalia celebrentur, ambit eam, sed ambitus ille per in-
 terpositas personas quandoque expeditur *arg. l. ult. ff. d.*
spons. Perez ad *Cod. d. spons.* & ambitus seu conciliatio per
 Proxenetam quandoque feliciter expeditur, cum vel pudor
 vel inter amantium quædam proferre inhibeat, v. gr. de
 uno vel altero vitio, de spe dotis &c. In hoc enim consi-
 stit officium proxenetæ, ut tam animos & inclinationes a-
 mantium & contrahentium, quomodo invicem responde-
 ant, exploret D. Findekeller *dissert. d. proxenetis & proxe-
 netic. sect. 2.* Non tamen semper bonis istis viris, proxe-
 netas dico, plenissima fides adhibenda est; Eorum enim
 proprium esse videtur, ut pecunia corrupti non minus ut
 pictores ex Rana Dianam faciant; ut hinc Limnæus in *No-
 tit. Regn. Franc. lib. 2. cap. 19.* errorem culpet in illustribus
 personis, quod aliorum relationi, oculis aut pictoris peni-
 cillo nimium fidant, nec ipsimet sociam thori adeant, mo-
 resque & ingenium explorent. Non abs re esse videtur; si
 Princeps fidei & curiositatis plenum ministrum sub alia per-
 sona aliquamdiu in ea aula, ex qua Conjugem Princeps sibi
 destinavit, foveret, qui ad quævis etiam minima attentus
 omnia quam diligentissime, sincere tamen, perferre tene-
 retur D. Præses in *presidiis domus illustris cap. 3. posit 3.*

THESES. VI. Fieri solet ambitus seu sollicitatio ista
 connubialis vel pure h. e. nulla adjecta conditione aut mo-
 do, vel conditionaliter. Conditio ista varia est, alia ho-
 nesta

nesta & possibilis, alia impossibilis. De quarum effectu vid. capur seq.

THES. VII. Ambitus, seu quod quis foeminam in matrimonium petierit, probatur eo omnino modo, quo alias sponsalia solent probari, testibus scil. aut literis. Ubi semper medii termini loco sit, quod quis *animo contrahendi* ambierit foeminam; cum enim hoc probari nequit, ambitus iste pro nudo ac simplici, non pro connubiali haberi debet; h. e. pro amica conversatione absque intentione sponsalia contrahendi. *Q. Num ambitus iste per proxenetas probari possit?* Resp. in casu aliarum probationum deficientium ob maximum favorem matrimonii admittendi sunt proxenetæ, quia in probando matrimonio testes admittuntur, qui alias ratione affectionis rejiciuntur *c. 3. X. qui matrim. accus. poss.* multo magis proxenetæ: *Carpz. Iurisprud. Consistor. lib. 3. tit. 3. def. 40. Harprecht ad Instit. pr. d. nupt. n. 214. 225. seqq. Cypræus d. sponsal. c. 14. §. 4. num. 1. 2.*

CAPVT V.

De Fine, Effectu & Concomitantis Ambitus Connubialis.

SVMMARIA.

- I. *Intentio ambiens est ut ambitam sibi despondeat.* II. *Ex Ambitu connubiali nullum jus queritur.* III. *Potest ambiens ante responsonem poenitere.* IV. *Si ambiens voluntatem suam non mutet, & altera pars adsentiat, ille adhuc obligatus manet.* V. *Si ambitus & tractatus connubialis præcessit, annuli dati sponsaliorum inducit præsumtionem.* VI. *Si ambitus præcessit & copula carnalis sequuta est, exinde consensus matrimonialis inducitur.*

itur. VII. Ex patientia eorum, qui cum possent oblationi in ambitu facta contradicere, neque id faciunt, colligitur consensus. VIII. Quæstio: Num ratihabitio in nuptiis absque antecedente jussu paterno a liberis, qui in potestate patria constituti sunt, contractis, locum sibi vendicet, resolvitur. IX. Si puella ambiatur & Pater injuria probibeat nubere, Magistratus parentum consensus complere valet. X. 2. Num conditiones in ambitu propositæ strictæ sint adimplendæ?

THES. I.

FOEminam ambientis intentio est, ut sibi eam despondeat, habeatque futuram in matrimonio. Quod enim in sponsalibus ratione finis est conjugii promissi consummatio, Wesenbec. in Parat. ff. d. sponsal. num. 7. Dñ. Præses in Jurisprudenc. Elementar. disp. 8. th. 9. illud in hisce præludiis sunt sponsalia, & consequenter connubium.

THES. II. Quoniam vero ambitus est instar propositi saltem sese despondendi & obligandi; dicendum est, ambitum tanquam tractatum præambulum de matrimonio nequaquam ligare, quatenus consensum purum & absolutum non infert, arg. l. 17. d. fid. instr. D. Tabor in addit. ad Aug. Barb. lib. 18. c. 22. ax. Menoch. d. arbitr. judic. quest. lib. 2. c. 470. n. 3. D. Mauritius consil. Cbilon. 61. n. 132. multa enim tranctantur, quæ non perficiuntur, & aliud est tractatus, aliud conclusio. Tota autem vis contractus in conclusione est; Et causæ matrimoniales, utut alias sunt favorabiles, consensum tamen perfectum requirunt, utpote qui basis ac fundamentum matrimonii dicitur, imo anima conjugalis, ad ejusdem substantialia pertinens. Philipp. in usu pract. Instit. lib. 1. eccllog. 57. Carpz. Jurispr. Consistor. lib. 2. d. 18. n. 9. & seq. def. 164. n. 6. Et ita respondit Con-

Consistorium supremum Dresdense anno 1611. Obwohl
ungefehr vor einem Jahr N. N. in Böhmen, benebens
seinem Vater zu Euch kommen, und bey euer Tochter
freyens für gegeben, Euch auch selber die Ursach ihrer An-
kunft erkläret, und was eure Meynung, zu wissen begeh-
ret: Darauf ihr ihnen zur Antwort gegeben, ihr wollet
euch mit eurem Weibe und der Tochter bereden, und fleis-
sig bethen, nach Verfließung 6. Wochen solten sie wiede-
rum anhalten und einer richtigen Antwort gewärtig
seyn, so ist durch diese Tractaten, wosern darauf zwischen
Euch und Ihnen ein mehrerer nicht erfolgt, keine ver-
bündliche Ehe geschlossen worden, derowegen beyden
Theilen ihrer Gelegenheit nach anderwärts sich Christli-
chen in den heiligen Ehestand zu begeben billich verstatet
und nachgelassen wird, W. A. W.

THES. III. Ex jamjam dictis constat, quod ambiens
& offerens non obligetur, ut expectet responsonem, sed pos-
sit interim pœnitere. v. gr. Si pater alicui filiam offerat, eam-
que se daturum promittat, vir autem non continuo assentiatur,
post temporis intervalum, pater ad dandam filiam non obli-
gatur. Neque is, qui promissioni factæ non adsensit, conq̄eri
potest, sibi fidem datam non seruari, cum sibi imputare debe-
at, quod conditionem propositam non acceptaverit. Contra
si offerens aut promittens post intervallum teneretur, in arbi-
trio alterius esset deliberandi spatium pro lubitu sumere, & pa-
trem filiamque naso suspendere, donec deliberandi spatium
absolvisset: quod valde iniquum, Bechstadius *de conditionib.
sponsalium p. 2. c. 2. n. 6.* Ut enim talis ambitus vitio careat, ni-
hil aliud requiritur, quam ut veritas cogitationis adsit pro præ-
senti tempore, seu ut revera talis nobis sit animus, qualem pro-
fitemur, neve mendacio alterum illudamus. In ea autem de-
terminatione subsistere nemo tenetur, quippe cum animus hu-
manus

manus habeat non tantum naturalem potentiam consilium mutandi, sed etiam jus, ut recte id facere possit, ubi nulla obligatio necessitatem adfert, in sententia semel declarata persistendi Pufendorff *d. jur. nat. & gent. lib. 3. c. 5. §. 5.* Grot. *lib. 2. c. 11. §. 2.* & pertinet huc vulgare illud: Quæ ab initio, seu antequam interponitur consensus, meræ sunt voluntatis, secuto isto & ex post facto necessitatis fiunt *l. 1. C. d. O. & A. l. 3. C. d. resc. vend. l. 39. C. de transact. Carpzov. p. 2. c. 37. d. 6. n. 2.* Accedit, quod, cum omnis conventio sit inter duos de negotio aliquo civili *l. 1. §. 3. ff. de pact.* non sufficiat unius voluntas & oblatio, sed alterius acceptatio necesse sit accedat, quæ si nondum intervenit, nondum est conventio: Adeoque ista oblatio ante acceptationem revocari potest *arg. l. 3. pr. §. 1. d. pollicitat. in l. 1. 10. ff. de donat.* Bolognetus *ad rubr. d. V. O. cap. 20. n. 2.* add. Berlich. *decis. 37. n. 3. 46.* & Menoch. *consil. 29. n. 89.* Nec enim ex conditione ab altera parte oblata oritur obligatio, nisi altera pars acceptet; cum alias contra naturam synallagmatis sit, ut altera pars obligetur, altera autem non, Tabor *d. l.*

THESES. IV. Quid si ambiens, antequam promissio secuta est, in proposito suo perseveret, eoque durante is, cui promissio facta, adsentiat? Ambiens & promittens adhuc obligatus est: Tuncque continuatio consensus simultaneum consensum efficit, ut idem sit, ac si consensus, utrinque tempore promissionis factæ, intervenerit DD. & præsertim Ant. de Butrio *in c. inter vers. quero primo X. d. sponsal. & Didac. Covarr. d. sponsalib. p. 2. c. 4. n. 7.* Bechstad. *c. l. n. 7.* In dubio tamen promissionem faciens, eaque non acceptata, post intervallum in eadem sententia perseverare non præsumitur secundum Br. *in l. nuptias d. R. I.* Imo voluntas immutata præsumitur DD. *in l. 1. §. qui presens d. V. O.* Bechstad. *d. l. n. 8.*

THESES. V. Quod in capite præcedenti de annulo & jo-

calibus dictum est, sc. exinde ambitum connubialem absolute

D

colli-

colligi non posse; verum est, nisi ambitus seu honesti amoris tractatus præcesserit, tunc enim ex traditione & acceptance annuli colligitur, eum pronubum, h. e. in argumentum promissi matrimonii datum esse, D. Præses *d. ann. pronub. 1b. 14. n. 13.* D. Richter *vol. 2. conf. 71. n. 24.* Zasius *conf. 3. n. 15.* Cardin. Tuschus. *lit. M. conclus. 129. n. 51.* Struck. *conf. 6. n. 59.*

THESES. VI. Non minimus effectus hujus ambitus est, quod si is præcesserit, ac copula carnalis subsequuta sit, exinde consensus matrimonialis inducatur, ut necesse sit eum, qui ambiit mulierem, cum ea consummare matrimonium. Ex quo enim de mente saltem ac voluntate concumbentium futura apparet, non præsumendi sunt fornicationis causa ad copulam carnalem accessisse, sed potius ut commixtione hac ipsum consummarent sponsaliorum actum & contractum; quia præsumtio hæc pro matrimonio, juris & de jure habetur, in tantum, ut nullam admittat probationem in contrarium Didac. Covarruv. *in epit. d. sponsalib. part. 1. cap. 4. §. 1.* Et rationes, quibus clandestina sponsalia per copulam carnalem convalidantur, eo etiam casu, si tractatus saltem de contrahendis sponsalibus vel ambitus connubialis præcesserint, locum obtinent, ut proinde vel saltem ex identitate rationis idem dicendum sit, siquidem identitas rationis idem jus facit *l. 32. ff. ad L. Aquil. l. 9. §. 5. ff. d. edend. l. 7. C. ad revoc. donat. Carpz. Jurispr. Confist. lib. 2. tit. 3. def. 37.* & ita respondit Consistor. suprem. Dresd. anno 1613. *Die weil Beklagter, daß Er bey der Klägerin und ihrer Mutter freyens für gegeben und die Tochter dar auf geschwängert, nicht in Abrede gewesen, So ist Er durch eheliche Trauung und Beywohnung in Zeit Sächsischer Frist die Ehe mit Ihr zu vollziehen schuldig.*

THESES. VII. Ex parentia quoque eorum, qui cum oblationi in ambitu factæ possent contradicere, neque id faciunt, colligitur consensus. Ut si parentes non ignorent videantque li-
beros

beros suos ambire connubium apud certam personam neque contradicant, taciturnitas eorum habetur pro consensu. Semper enim intelligitur pater filiae consentire, nisi evidenter dissentiat *l. in sponsalibus 7. §. 1. ff. d. sponsal. Schneidevvin. ad tit. d. nupt. in pr. Hermann. Vultej. lib. 2. Jurispr. Rom. cap. 7.* Unde mater proxenetæ procoq; in ambitu connubiali respondens filiam suam se huic non denegaturam, seu fieri posse, ut ista huic jungatur, deinde contracta sponsalia non potest irrita dicere aut revocare, tum quia mater de filia nuptum personæ danda interpellata expresse dissentire debuit, si sponsalia noluit, tacens pro consentiente habetur, nec ultra auditur *l. 7 §. 1. ff. d. sponsal.* tum quia filia lubente voluntate de matris consensu per patientiam persuasa ei nupsit, quem non ingratum futurum credidit *l. 11. ff. d. rit. nupt. Mevuis part. 9. decis. 199.*

THESES. VIII. Hinc illa quæstio commode resolvi potest: Num ratihabitio in nuptiis absque antecedente jussu paterno a liberis, qui in potestate patria constituti sunt, contractis, locum sibi vendicet? Pro negativa facit, quod consensus paternus pro forma a lege hic requiratur, in tantum, ut jussus præcedere debeat nuptias *pr. Instit. de nupt.* Id autem quod pro forma requiritur, per æquipollens expediri nequit Jacob. Gothofr. *ad l. 152. §. 2. ff. d. R. 1. & quod ejusmodi nuptiæ sine consensu de facto initæ non sint legitimæ, sed ipso jure nullæ, probant. §. 12. Inst. d. nupt. & arg. l. si uxoris 13. §. 6. ff. ad L. Jul. ad adult. Vultej. ad pr. Instit. d. nupt. n. 18.* Quod autem ipso jure nullum est, illud ratum haberi nequit. *cap. audit. 29. d. Elect. Oldr. consil. 332. n. 2. Petr. Peck. ad Reg. Jur. in 6. cap. non firmatur n. 2.* Verum hoc in casu dicendum est, multum interesse, an pater filium suum conjugii causa ambire mulierem sciat, an vero ignoret; Si scit Pater, utrum contradicat an non. Eo non contradicente nuptiæ ex ipso tacito Patris consensu legitimæ sunt & justæ *arg. l. 11. §. ult. ff. de bis qui notant. infam. l. 7. §. 1. ff. d.*

ff. d. sponsal. l. 5. C. d. nupt. Si vero contradicit initio ambitui, nuptiæ vero nihilominus de facto sequantur, tunc ex eo demum tempora, quo iussus parentis supervenit, ea sunt legitima *d. l. 13. §. 6. ff. ad L. Jul. d. adult.* nec in præteritum vitium commissum sanatur *l. 9. C. d. nupt.* Franzk *exerc. 2. qv. 5.* Si pater ab initio ignorat nuptias contrahi, & ex post facto demum resciscit, sane, si statim consentit, eo casu ab initio consensisse intelligitur *l. 11. ff. d. rit. nupt.* D. Rebhan. *in Isagog. Iustin. d. sp. 2. ad tit. d. patr. potest.*

THES. IX. Quid si puella ab honesto viro enixe ambiatur, & Pater injuria prohibeat nubere, præpimis si filiam 25. annis majorem in matrimonio collocare reluctetur, a judice ad id compelli potest, & Magistratus parentum consensum complere valet; Neque Parentes tam præfracte potestate sua abuti debent, ut cum manifesto liberorum incommodo nuptias impediant, præsertim cum hac occasione gravioribus delictis fenestra aperiatur *l. 19. d. rit. nupt.* Beust. *p. 2. d. matrimon. c. 46.* Hahn. *ad Wesenbec. paratit. ff. d. sponsal. n. 4.* ubi præjudicium affert, ibi: Erkennen drauff und anfänglich auff die erste Frage für recht, daß der angedeuteter Vater Cajus ein Pr. welcher seiner Tochter Seja sich zuverehlichen niemals verstaten; noch dieselben keinem der sich um sie beworben, versprechen. Porro: durch die Obrigkeit anzuhalten, daß Er als Vater hierunter seiner Tochter gewissen Bedencken, und seiner blossen väterlichen Gewalt ohne alle erhebliche Ursachen, nicht mißbrauchen, sondern in diese Ehe (sponsalia contraxerant dissentiente patre Titius & Seja, filia Caji) consentiren, und dieselbe durch Christliche Ceremonien und eheliche Bewohnung vollziehen lassen müsse. Solte aber der Vater Cajus, so viel die andere Frage betrifft, auch also nicht können bewogen werden, so seyn Titius und Seja solche versprochene Ehe nicht desto

destromeniger durch Priesterliche Copulation und ehelich
Beylager zu vollziehen wohl befugt.

THE S. X. Nuptiæ solent conciliari modo pure, modo sub conditione. Si posteriori modo fiat, quæritur: *Num apposite conditiones stricte sint explenda; uti in ambitu sunt proposita?* Sane, in ambitu multa sæpius proponuntur, quorum postmodum in ipso sponsalium actu nulla fit mentio; Hinc si ibi non repetantur, sed omittantur, pro porificatis habentur sponsalia; nam matrimonium e callida persuasione & subreptione, qua quis inducitur, non irritatur Panormitan. *ad c. 18. n. 3. X. d. sponsal.* Sanchez. *lib. 7. disp. 18. n. 17. & seqq.* & potissimum sponsaliorum effectus est, ut is, qui ea contraxit, teneatur conjugium consummare & promissum adimplere Barbosa *ad c. 22. n. 12. X. de desponsat.* Alex. Carrer. *c. 11. de sponsal. & matr.* Aliud est, si id, quod in ambitu propositum fuit, in sponsalium actu repetitum est, v. gr. ut hæc vel ista pecuniæ summa dotis loco, & quidem absque difficultate inferatur, tunc, si incertitudo ratione modi oriatur, ut si debitor minus locuples loco paratæ solutionis velit offerri & delegari; & matrimonium nondum sit consummatum, ambiens & sponsus illud non tenetur consummare; sponsalia enim conditionata pendente conditione non sunt firma nec obligant, quin potius deficiente conditione expirant. Carpz. *Jurispr. Confist. lib. 2. defm. 20.* unde sequitur, conditione deficiente, nihil promissum videri, ut alteri parti, quæ conditionem apposuit, altera invita pœnitere sit concessum *c. unic. in fin. de sponsal. in 6. c. 3. & 5. X. de condition. appof.* Harprecht. *ad pr. Inst. d. nupt. n. 25.*

CAPVT VI.

De Contrariis Ambitus Connubialis.

SVMMARIA.

1. *Promissum Matrimonium cui dolus dedit causam, ipso iure nul-*

D 3

nul-

nullum est. II. Proxenetrix quando obtulit feminam illamque formosam ac dividem predicavit, cum tamen res se aliter habeat, quomodo teneatur. III. Error in substantialibus facit matrimonium nullum. IV. Falso ambiens matrimonium potest actione injuriarum conveniri, & puniri a Magistratu.

THES. I.

Hilic ambitui maxime obstat *Dolus, Error & Injuria*. Quod dolum attinet, si ille causam præbuerit ambitui, ita ut si quis nunquam ambiisset matrimonium alicujus mulieris, vel hæc, nunquam promississet, nisi ita inducta, dicendum videtur; matrimonium promissum esse ipso jure nullum; Namque tam arduus & sacer contractus individuam vitæ consuetudinem inducens, sine omni furo liberrimaque voluntate celebrari, omnisque dolosa circumventionis seu captionis expertus esse & ita bona fide contrahi debet Harprecht. *d. l. n. n. 141.* neque integro judicio videtur consensisse, qui dolo ac fraudibus inductus in matrimonium consensit, D. Gerhard. *in loc. Theolog. d. conjugio §. 116.* & error hic interveniens non est simplex, sed cum dolo alterius partis conjunctus, imo ex hoc ipso dolo ceu radice descendencia verba mellita meram fraudem continent, ut si quis divitias mentiendo virginis alicujus nuptias sibi procurare studeat, D. Rhetius *Diff. d. virg. cap. 5. §. 13.* Ita Carpz. *Jurispr. Consil. l. 2. de fin. 204.* dicit: Plane si ad errorem hunc accesserit dolus, ut si prætextu divitiarum alterutra contrahentium persona ad matrimonium promittendum fraudibus & fallaciis fuerit inducta, licet non dissolvatur conjugium, haud tamen, obstante dolo, contractum videtur, adeoque *pro nullo declarabitur*. Vid. Alber. *Gentilis tr. d. nuptus lib. 3. c. 4.* Richter *decis. 87. n. 23. & seqq.* Idem *part. 2. conf. 8. n. 14.* Treutl. *vol. 2. disp. 6. tb. 6. lit. F.* Gerhard, *d. Conjugio §. 105. in fin. & §. 116.* Besold. *consil. 237. n. 55, & seqq. ubi num. 89. in fine*, inquit: *Quan-*

Quando non solum error ab una parte, sed & dolus ab altera intervenit, tunc error efficit matrimonio, etiamsi error in fortuna bonis vel talis sit, qui per se non solet nocere contractui, cum enim dolus & fraus intercessit, tunc quis decipitur potius, quam paciscitur. vid. l. 2. §. 1. ff. d. transact. quippe sic deceptus consensus minime erat, sed errore ductus consensus, in quo alter per dolum & fraudem participavit. Vide etiam B. Luther. tomo Jen. 5. libell. von Ehe-Sachen. art. 2. §. wiederum, ibi; Wo aber Betrug und List von der Dienen Eltern hie zugerichtet würde: So wäre es recht, daß sie Spott zum Schaden müssen haben, D. Joh. Adam Kurrer JCa. & Prof. Tubingen. in disp. de dolo causam dante th. 36.

THESES. II. Quando Proxenetrix alicui obtulit foeminam, illamque prædicaverit formosam, cum sit deformis, divitem, cum sit inops; eaque persuasione adductus ambiverit foeminam, eique, mediante ista conciliatrice & literis fidem conjugalem sponsonderit, si dolo caruit & bona fide laudavit, non tenetur proxetrix arg. l. 19. ff. d. adul. edict. l. 2. ff. d. proxenet. sibi que imputare necesse habet circumventus, quod matrimonium per talem foeminam contraxerit, si vero scivit, de dolo tenetur d. l. 2. §. 1. 7. §. 10. ff. d. dol. mal. Besold. in The-saur. pract. voc. Kupler. Num autem, si proxeneta dolo mentitus dotis quantitatem, majoremque eam promiserit, quam solutio deinde respondeat, an proxeneta in supplementum teneatur? Resp. Quoniam principaliter negotium non inter ipsum & sponsam contrahitur, sed de dote inter sponsum & sponsam ipsam agitur, non videtur contra proxenetam ad supplementum agi posse; Potest tamen conveniri actione de dolo ad interesse ipsum sc. in matrimonio ineundo circa dotem non fuisse deceptum arg. l. 18. §. 4. ff. d. dol. mal. Finckelt. d. l. sect. 2. cap. 3.

THESES. III. Siquis ambiverit foeminam aliam, quam eam, quam intendit, illaque promittat, postmodum detega-tur


tur

tur error; actus iste nullus est; quoniam error iste tangit substantialia matrimonii, cum erreretur in persona, qualis error impedit matrimonium contrahendum & contractum dirimit propter deficientem consensum in persona *c. unic. 29. qu. 2. c. tua verb. nec consentit in persona d. sponsal. D. Struve synt. jur. civ. exercit. 29. th. 24. n. 1.* Aliud est si erreretur in solo nomine, putans, v. g. eam, quæ Titia est, & in quam consenserat, Semproniam vocari, error nihil obstat, quia actio ista est volita quoad individuum; involita per errorem ratione nominis Cypræus *tr. de matrim. p. 2. c. 13. §. 27.*

THES. IV. Quando falso quis ambit fœminam, blanditiisque eam lactat, nec tamen matrimonium petit, concurrentibus circumstantiis potest actione injuriarum conveniri, atque a Magistratu puniri, cum ex frequenti conversatione non semper bene præsumatur; D. Præses *in tr. d. annulo pronubo thes. 31.* ubi præjudicium affert: Weil aber Kläger, (virginis pater) darbey so viel bescheiniget, und Beklagter dessen nicht in Abrede seyn können, daß Er bey Klägern vielsältig aus und eingangen, bey dessen Tochter eine und andere Freundschaft gesucht, mit ihr den Ring gewechselt, ihr Schue verehret, und also die Dirne darüber in ein Geschrey und Beschimpfung gebracht, so ist Er daß Er von Ihr anders nichts als Liebes und Gutes wisse, auch sie vor ein ehrliches Mensch hielte, sich öffentlich zu declariren schuldig, und wird darüber gestalten Sachen nach in 20. Thlr. Straffe verdammet. W. R. W. Hac sunt, quæ de hac nobili materia per temporis brevitatem in calamum conjicere licuit.

SIT DEO GLORIA!





X 2403648

WONA







1684,27^b 4
8

DISSERTATIO
DE
AMBIV CONNVBIALI,

Ober:
Vom Frey-Werben und Freyerz-Männern.

QVAM
PRAESIDE
DN. PETRO MÜLLERO,
CTO, CONSIL. SAXON. ANTECESS. CVRIAE PROVINC. SCA-
BINAT. ASSESS. COLLEG. IVRID. DECANO,
AD D. XXX. IAN. M DC LXXXIV.
IN AVDITORIO ICTORVM VENTILANDAM
PROPONIT
IO. HENRICVS SCHMALIAN,
HEMIPOLITANVS.



LENAE, APVD IO. FRIDERICVM RITTERVM,
A. O. R. M DCC XXXIII.

